

tit; illa enim duo contradictoria sunt, tanquam universalis affirmativa, et particularis negativa. Quod enim convenit alicui secundum quod ipsum (id est per se primo, et essentialiter, quatenus tale est) convenit omni (juxta regulam posterioristicam); ergo si causæ secundæ vel indifferenti, ut talis est, per se et essentialiter convenit indigere determinatione primæ causæ, convenit omni, et in omni actione sua; ergo qui affirmat illud prius, et in particulari hoc negat de aliqua causa vel actione, contradictoria dicit. Quod si illa determinatio non est ita necessaria ut conveniat per se et secundum quod ipsum causæ secundæ ut indifferenti, ut sic frustra et sine fundamento hoc attribuitur universis causis secundis, vel indifferentibus, cum illa exceptione; quia destruitur fundamentum illius positionis; et nullum relinquitur in quo niti possit, nam omnes rationes quæ pro illa fiunt enervantur per eam exceptionem, quia vel idem de illa convincunt, vel nihil probant. Sed de hac doctrinæ consecutione dixi plura lib. 2 de Auxiliis, c. 6.

CAPUT XXVII.

PRÆDETERMINATIONEM VOLUNTATIS HUMANÆ NEC CONCURSUM DEI ESSE POSSE NEQUE ALIQUID PRÆVIUM AD ILLUM.

Ostenditur explicari non posse quid sit prædeterminatio, nec quem locum inter divina auxilia sortiatur. — In discursu præcedenti ostendimus non dari fundamentum firmum et solidum, ob quod physica prædeterminatio necessaria sit; nunc alium instituimus, quo ostendamus explicari non posse quid sit illa determinatio, nec quem locum inter divina auxilia sortiatur, ac proinde admittendam non esse, cum solum ob necessitatem divini auxilii asseratur. Simulque amplius probabimus hanc prædeterminationem non esse necessariam propter generalem concursum Dei, quæ solet esse præcipua ratio ponendi illam.

Ut autem distinctius procedamus, imprimis distinguendæ sunt voces *auxilium* et *concursum*, quibus indifferentiter utitur Cabrera, disp. 6, in princ., num. 3, et omne auxilium, sive sit præveniens, sive concomitans, sive efficax, sive sufficiens, vocat *concursum*; nam in definitione auxilii ponit pro genere quod sit *concursum*, et e converso omnem *concursum*, sive sit ad supernaturales actus, sive ad naturales, vocat *auxilium*. Quæ omnia pariunt

confusionem in pertractandis auxiliis gratiæ, et in explicanda propria ratione et necessitate illorum, et ideo non oportet de naturalibus miscere sermonem, nisi quatenus cum supernaturalibus conveniunt in generali necessitate divini concursus. In supernaturalibus autem actibus non immerito possunt *concursum* et *auxilium* ita distingui, ut nomine *concursum* significetur ille influxus Dei qui debetur omni principio activo creato, juxta proportionem et conditionem suæ naturæ, nomine vero *auxilii* significetur motio vel influxus quem Deus præbet ad opera gratiæ, et propter peculiarem insufficientiam, quam liberum arbitrium ex se habet ad illa efficienda.

Distinctio auxilii in auxilium per modum concursus et per modum principii. — Ne tamen fiat vis in omnibus, quia etiam *concursum* gratiæ, comparatus ad liberum arbitrium secundum se, potest vocari *auxilium* gratiæ, quatenus non est illi debitus, ideo clarius distinguimus *auxilium* in communi in *auxilium* quod est per modum concursus, seu actualis cooperationis, et quod est per modum principii, et illud prius subdistingui in divinum influxum necessarium ex vi dependentiæ causæ secundæ a prima (quam significat nomen *concursum* absolute sumptum, juxta usitatum loquendi modum), et in influxum Dei, quo actualiter supplet defectum virium liberi arbitrii ad actus supernaturales, et est actio qua juvat infirmitatem ejus, et dicitur proprie gratia cooperans, vel cooperatio gratiæ adjuvantis.

Auxilium per modum principii distinguitur in illud quod datur per modum habitus, vel per modum actualis motionis. — *Auxilium* autem per modum principii, ut est prius tempore vel natura quam operatio liberi arbitrii, generaliter dicitur gratia præveniens vel operans, et distingui potest in illud quod datur per modum habitus, vel per modum actualis motionis et adjutorii quasi transeuntis. Omisso autem habitu (quia ad rem præsentem non spectat), *auxilium* actualis motionis ab aliquibus subdistinguitur in illud quod datur per modum motionis, quæ mere passive recipitur in voluntate vel intellectu; in qua receptione nullum est actuale exercitium vitæ, quamvis per illam motionem fortificetur potentia ad eliciendum actum vitæ, ut fidei amorisque. Dicitur autem illa motio actualis, licet ad actum vitæ immediate non terminetur, quia non separatur ab actu vitæ quem secum affert, neque amplius durat quam operatio

vitæ perseveret. Et ideo ab aliis *auxilium* illud vocatur *qualitas transiens*, in hoc differens ab habitu, licet cum illo conveniat in hoc quod est purus actus primus non elicitus a potentia vitali; sed de hoc genere *auxilii* satis incertum est an detur, quod videbimus. Nunc, id quod certum est supponimus, scilicet, *auxilium* actuale per modum principii esse operationem aliquam vitalem, quæ dicitur esse operationem aliquam vitalem, quæ dicitur gratia præveniens, præcipue quando Deus illam faciat in nobis sine nobis libere cooperantibus. Neque est repugnantia quod dicatur esse per modum principii, et sit actualis operatio, quia una operatio potest esse principium alterius, et licet constituat potentiam in actu secundo respectu sui objecti, constituit in actu primo ad eliciendum alium actum circa illud, vel circa aliud objectum, ut assensus principii est actus secundus respectu præmissæ, et actus primus respectu conclusionis. Et sancta cogitatio est actus secundus respectu sui objecti, et est quasi actus primus respectu studiosi affectus.

An determinatio sit aliquid in re ipsa distinctum a concursu. — His ergo positis, comparando determinationem ad *concursum* vel cooperationem gratiæ, inquiri potest primo an determinatio sit aliquid in re ipsa distinctum a concursu, vel sint omnino idem, et consequenter cum determinatio dicatur esse *auxilium*, inquiri potest an sit per modum concursus, vel per modum principii, nam sub altero illorum comprehendere videntur necessarium. Quia illa duo membra, prout explicata sunt, adæquate dividunt *auxilium*, nam immediatam contradictionem includunt. Tandem inquiri potest an determinatio, quæ per illud fit, sit in voluntate tanquam actus primus, vel tanquam actus secundus, et quem istorum respectuum habeat ad *concursum*.

Prædeterminationis physiciæ defensores quid sentiant. — Igitur circa primum punctum, defensores prædeterminationis physiciæ aliquando dicunt illam esse motionem realiter distinctam, et ab auxiliis omnibus prævenientibus, quæ consistunt in actibus vitalibus indeliberatis, et a toto actu deliberati consensus, et ab actione, seu influxu per quem immediate fit tam a libero arbitrio quam a Deo. Ita colligitur ex Cabrera in multis locis, licet in aliis dicat contrarium. Nam imprimis, disp. 6, dub. 4, num. 22, vult *auxilium* efficax esse realiter distinctum a sufficiente; per sufficiens autem intelligit totum *auxilium* præveniens seu excitans, quod in

præviis actibus vitalibus intellectus et voluntatis positum est. Deinde in eadem disp. 6, dub. 1, num. 22, de auxiliis generaliter dicit, esse *principium intrinsecum operationis formaliter inherens animæ, vel ejus potentie*. Unde necesse est ut sentiat idem de prædeterminatione, quam dicit esse *auxilium*; et quia principium operationis ab illa realiter distinguitur, ideo necesse est ut determinationem a consensu re ipsa distinguat, et consequenter etiam a concursu, quia est actualis operatio. In eadem vero disp., dub. 10, num. 7, solum dicit esse *probabile quod distinguantur realiter*, licet contrarium etiam probabile sit. Rursus vero in eadem disp., dub. 8, num. 689, triplex distinguit *auxilium*: unum sufficiens, quod tantum respicit actionem ut possibilem, de quo supra dictum est; aliud efficax concomitans, quod respicit operationem, ut actualiter exercitam; aliud efficax prædeterminans, quod respicit applicationem potentie, quæ talem actum debet exercere. Et ita sentit hæc tria *auxilia* esse realiter distincta. At in disp. 2, num. 482, dicit in agentibus per actionem transeuntem illa duo *auxilia* efficacia, concomitans et determinans, distingui realiter; in agentibus vero actione immanente solum distingui formaliter, tanquam modum rei a re; quæ omnia sine explicatione vel probatione sinit.

In aliis autem locis absolute affirmat *auxilium* non distingui realiter ab operatione potentie, sed formaliter, ut disp. 6, dub. 1, num. 4. Ibi tamen videtur loqui de concursu, quem vocat actuale *auxilium*, de quo ibidem, num. 44, sentit esse in re ipsa formaliter distinctum ab actione creaturæ, ita ut, licet actio Dei et potentie creaturæ realiter una sint, tamen distinguuntur formaliter et ex natura rei, quia, ut est a Deo, est principium et actus primus, ut autem est a potentia creata, est actio seu actus secundus. Aliis tandem locis negat *auxilium* efficax esse principium operationis, ut postea videbimus. Ac denique, eadem disp. 6, dub. 10, num. 7, probabile esse dicit *auxilium* simultaneum (id est *concursum*) non distingui realiter nec formaliter ab *auxilio* prædeterminante, sed tantum ratione ratiocinata. Ex quibus omnibus satis manifestum est quam lubrice et inconstanter sentiat hic auctor de hac prædeterminatione, et quomodo ad divinum *concursum* comparetur.

Auxilium prædeterminans re ipsa distin-

guendum a concursu Dei.—Nos ergo dicimus primo auxilium prædeterminans, prout ab his auctoribus ponitur, necessario esse in re ipsa distinguendum a concursu Dei. Probatur primo ex agentibus actione transeunte. Nam determinatio (ut aiunt isti auctores) recipitur in causa agente, concursus autem recipitur in effectu, seu in passo; sed agens et passum distinguuntur realiter; ergo necesse est determinationem et concursum eodem modo distingui. Necesse est ergo, saltem in his agentibus, hos auctores fateri actuale influentiam causæ primæ cum secunda, ad actionem ejus, duplicem influxum includere, unum in causa, et alium in effectu, quæ subjecta separari clarum est; et consequenter tam realiter distingui quam ipsa subjecta.

Influxus autem in causam est determinatio (ut ipsi aiunt), influxus autem in effectum, ut est a Deo, est concursus ejus, ut per se constat; ergo in his agentibus illa duo sunt realiter distincta.

Ex his autem causis fit valde probabile argumentum ad voluntatem et ad quamcumque potentiam immanenter operantem. Nam, licet in tali potentia non ita ad sensum appareat distinctio ex parte subjectorum, quia unum et idem est subjectum utriusque auxilii, tamen intrinseca ratio distinctionis eadem permanet in his causis; et unitas potentiae receptivæ non tollit distinctionem in formis vel in actibus, si alias habent unde sufficienter distinguantur. Explicatur assumptum, nam, licet in agentibus actione transeunti nobis clarius pateat distinctio ex distinctione subjectorum, tamen ratio distinctionis inter illa duo auxilia (si revera existunt) non est, quia subjecta sunt realiter distincta, sed quia illæ duæ formæ, seu motiones (aut quovis nomine appellentur), ordinantur ad fines adeo distinctos, ut postulent inter se realem distinctionem (hoc enim oportet ex parte earum supponi, ut possint etiam subjecto distingui); erunt autem illæ duæ rationes, seu fines, quod concursus ordinatur, ut sit immediatus influxus ipsius esse in effectum, id est, ipsum fieri ejus, et actio immediate ad ipsum terminata; determinatio vero potius se teneat ex parte potentiae agentis, et ordinetur ut illam ultimate actuet et compleat, seu applicet ad agendum. Hæc autem distinctionis ratio manet in actibus immanentibus; ergo identitas subjecti non tollit distinctionem illarum rerum.

Patet consequentia, tum quia, ut dixi, uni-

tas potentiae receptivæ non tollit distinctionem actuum qui in illa recipiuntur, si alias habent sufficientem rationem diversitatis; tum præterea, quia etiam effectus, qui per actionem immanentem fit, est realiter distinctus ab ipsa potentia. Et ideo quod talis effectus maneat in potentia, non potest impedire quin fieri illius effectus, et actualitas potentiae, quæ supponitur ad ipsum fieri, debeant inter se ita distingui ac si effectus extra potentiam transiret. Sicut species intelligibiles, et actio intelligendi, licet in eadem potentia recipiantur, realiter distinguuntur inter se, ut principium et actio, quia species supponitur ad complendam activitatem intellectus, actio vero est fieri ipsius effectus; ita ergo erit in præsentia.

Distinctio inter illa duo, determinationem scilicet et concursum, probatur.—Secundo, probatur ex principiis illius sententiæ necessario sequi distinctionem aliquam ex natura rei inter illa duo, determinationem scilicet et concursum; quia determinatio est motio quam solus Deus facit, concursus vero non est motio solius Dei, sed est unicam actio cum operatione causæ secundæ; ergo necesse est ut in re habeant aliquam distinctionem, quia unum et idem non potest esse a solo Deo, et non esse a solo Deo. Major item supponitur ex supra dictis, cap. 20, de sententiis horum auctorum. Minor vero declaratur; nam concursus Dei nihil aliud est quam actio causæ secundæ prout egreditur a Deo, ita ut realiter sit una simplex actio habens respectum ad duas causas, primam et secundam. Nam secundum eos respectus ratione tantum cum fundamento in re distinguuntur influxus causæ secundæ, et influxus seu concursus Dei; in re autem distingui non possunt, nec realiter, nec ex natura rei, ut in superioribus tactum est, et latius l. 1 de Auxiliis, et disp. 22 Metaph.

Et quoad hoc eadem ratio est de influxu gratiæ cooperantis, ut sic; quia generali concursu æquiparatur in intima et essentiali ac simplicissima conjunctione cum actione liberi arbitrii. Nam sicut est essentialis dependentia in agendo causæ secundæ a prima, ita est peculiaris dependentia essentialis liberi arbitrii a gratia cooperante, ut sic, in supernaturaliter operando, et e converso, sicut causa prima per concursum suum nihil agit se sola, sed cum libero arbitrio. Ob hanc ergo causam ulterius necesse est ut actio gratiæ cooperantis sit ex natura rei distincta ab

actione prædeterminativa, quam isti vocant auxilium efficax, quia ponitur esse a solo Deo et a pura gratia operante.

Responderi potest actionem prædeterminativam nihil aliud esse quam ipsummet concursum Dei, ut sic, et dici esse a solo Deo eo modo quo concursus Dei, formaliter et præcise conceptus, dici potest esse a solo Deo, quia, ut sic conceptus, ad solum Deum dicit respectum, licet realiter eadem actio sit a libero arbitrio, quod etiam concedetur de ipsa determinatione, juxta respondendi modum. Quod si inquiratur quomodo distinguantur ratione concursus Dei et determinatio, cum utrumque dicat respectum ad solum Deum et ad causam primario influentem, respondebitur distingui ratione, non per respectum ad efficientem causam, sed ad effectus quasi formales. Nam determinatio dicitur quatenus potentiam indifferentem determinat ad unum; concursus vero ut est fieri ipsiusmet effectus liberi arbitrii. Sic enim fere respondet, quamvis aliis verbis, Cabrera, dict. dub. 10, n. 5 et 7.

Sed hæc responsio vel positionem suam destruit, vel involvit contradictionem. Nam interrogo an determinatio illa voluntatis in re ipsa fiat a solo Deo, ita ut non solum secundum præcisionem conceptus apprehendi possit ut respicit solum Deum, sed etiam in re ipsa sit aliquid quod facit solus Deus in liberum arbitrium, vel nil tale sit, sed ipsamet determinatio, quæ intelligitur esse a Deo, intelligi etiam possit a libero arbitrio. Si primum dicatur, procedit ratio a nobis facta, et non habet locum responsio data: quia supponit determinationem non aliter dici esse a solo Deo quam concursum, scilicet, secundum respectum a mente præcisum, non in re ipsa; quod uno verbo dici potest, secundum abstractionem præcisivam, non secundum abstractionem negativam; quia (ut dicitur) abstrahentium non est mendacium, in negatione autem esset mendacium. Si autem in re ipsa est aliquid quod facit Deus, et non liberum arbitrium, jam non tantum secundum rationem et præcisionem ejus, sed etiam secundum rem et absolutam negationem verum est determinationem esse actionem solius Dei, in quam non influit liberum arbitrium. Et tunc procedit optime ratio facta, quod talis actio necessario debet esse in re ipsa distincta ab actione liberi arbitrii, et consequenter etiam a concursu Dei, quem illa actio essentialiter includit. Si autem altera pars eligatur (ut revera videtur dictus Auctor eligere

in loco citato), plane destruitur positio ejus, sic enim nulla determinatio liberi arbitrii a solo Deo fit, sicut nulla actio liberi arbitrii a solo Deo fit.

Voluntas non determinatur a Deo sine ipsa se determinante.—Nam in actione illa, quæ unica et simplex est in re, duplex conceptus ratione distinguitur, scilicet, determinationis per respectum ad liberum arbitrium, et effectio- nis, actionis, aut fieri, per respectum ad effectum seu terminum; et ipsa actio sub hac posteriori ratione concepta adhuc distinguitur ratione, per respectum ad causam, in influxum liberi arbitrii, et concursum Dei; ita ergo determinatio ipsa, per respectum ad suam causam adæquatam, potest distingui in influxum Dei determinantis, et in influxum liberi arbitrii efficientis eandem determinationem. Quod plane videtur concedere dictus Auctor citato loco, nam num. 2 ait causam secundam prædeterminari, et se prædeterminare, quod non potest esse verum, nisi ipsa efficiat eandem prædeterminationem. Et n. 5 dicit actuale determinationem esse unicam operationem realiter et formaliter, qua voluntas se determinat, virtualiter esse duplicem operationem: *Et ita* (inquit) *requiritur concursus prædeterminans, qui est prævius et necessarius ad ipsam determinationem, qua voluntas se determinat, et concursus simultaneous ad ipsam executionem seu actionem.* Quod si hoc ita est, et in hoc persistunt tam iste auctor quam cæteri, vix ulla relinquatur discordia; hoc enim est quod nos præcipue agimus, et pro quo pugnamus, quod voluntas non determinetur a Deo sine ipsa se determinante, nam quod e converso voluntas ipsa non possit se determinare sine Deo, tam certum esse credimus, quam est certum voluntatem nihil posse efficere sine concursu Dei, neque aliquid supernaturale sine cooperatione gratiæ. Rursus si hoc ita est, influxus ille, quo Deus facit determinationem voluntatis, non erit intelligendus per modum actionis totalis in re ipsa, sed per modum concursus ad illam actionem, qua voluntas se determinat, ut satis patet ex dictis; deinde illa determinatio, seu concursus ad illam, ut sic, licet dicatur prævius ad actum, tanquam executio seu fieri termini, non tamen potest dici prævius, sed simultaneous, respectu influxus liberi arbitrii ad ipsam determinationem. Sicut ipsi vocant concursum simultaneous, illum qui est ad executionem seu actionem termini, nimirum respectu influxus

liberi arbitrii ad eandem actionem, quia non est ibi aliud extremum illius relationis simultatis. Eandem enim proportionem observat concursus ad determinationem, respectu ipsiusmet determinationis et influxus liberi arbitrii ad illam, quam observat uterque influxus, ut consideratur in executione.

Circa presentem materiam vitanda omnia, quæ vel nova sunt, vel possunt dare occasionem errandi propter æquivocationem. — Et ratio utriusque est quia tam in determinatione quam in executione est essentialis habitudo ad utramque causam. Neque aliud potest intelligi, si determinatio, ut sic, est a libero arbitrio, et tam libera sicut ipsa actio. Quod si quis in influxu Dei ad determinationem consideret dignitatem aut excellentiam aliquam, ob quam illum vocet prædeterminativum, eandem excellentiam considerare debet in influxu Dei, prout est ad actionem seu executionem, et eum vocare potest præexecutivum et præactivum. De his enim omnibus non contendimus, dummodo de re constet; cupimus tamen vitari omnia quæ, vel nova sunt, vel possunt dare occasionem errandi propter æquivocationem. Igitur comparando cum proportionem influxum Dei et liberi arbitrii ad determinationem, vel effectum seu terminum, non est major prioritas, vel simultas inter ea sub uno respectu quam sub alio. Voluntarie igitur prorsus, et sine consecutione loquitur Cabrera, in disp. 2, numer. 196, ubi probat determinationem esse a Deo, quia, licet voluntas determinet se, tamen Deus necessario concurrat ad illam ut prima causa, cui subordinatur voluntas; ex quo sic infert: *Ergo prius natura concurrat Deus ad determinationem; et addit: Sed non ad effectum, quia sic Deus et voluntas simul natura concurrunt.* Sed nunquid ad effectum concurrunt Deus et voluntas, nisi ut causa prima et secunda? cur ergo hic non est necessaria prioritas naturæ, si ratio primæ causæ eam postulat; vel, si non postulat, cur asseritur in determinatione? Item non est major distinctio in re inter influxum Dei et liberi arbitrii ad determinationem quam ad effectum; ergo nec major prioritas esse potest.

Prioritas ex natura rei quid significet. — Denique, licet determinatio vel concursus Dei ad illam dici possint prævia secundum rationem ad actionem termini, de quo non contendendo, quia est res parvi momenti, utpote solum pertinens ad modum concipiendi et loquendi, non tamen possunt dici priora in re ipsa, seu

secundum naturam, juxta illam responsionem et modum explicandi suam opinionem. Patet, quia ubi non est distinctio in re, non est prioritas ex natura rei; nam prioritas ex natura rei dicit respectum aliquo modo realem, et qui esse non potest inter ea quæ in re non distinguuntur. Item, ubi non est vera causalitas realis, non est prioritas naturæ; inter ea vero quæ in re non distinguuntur, non potest esse causalitas realis; ergo nec prioritas naturæ. Item determinatio ipsa, prout est a libero arbitrio, non est prior natura quam actus ipse, prout est a libero arbitrio, quia non sunt duo, sed una tantum simplex actio, et illa tantum est duplex consideratio nostra; ergo eadem ratione influxus Dei, prout est ad determinationem, non est prius natura quam prout est ad actum seu effectum. Hæc autem omnia destruunt positionem illam; nam auctores ejus contendunt determinationem esse in re ipsa a solo Deo, et independentem a libero arbitrio, ut possit esse auxilium dese efficax et non expectans influxum liberi arbitrii, quæ omnia satis constant extractatis in superioribus, et ex ipso puncto controversiæ, quia revera non habent aliud in quo nobis tam vehementer contradicant. Igitur non potest illa sententia subsistere, nisi constituendo distinctionem realem, vel saltem ex natura rei inter prædeterminationem ad consensum et actionem ipsam qua fit consensus. Eo vel maxime quod etiam docent determinationem esse veram causam realem effectiois consensus, et priorem natura, ut supra tactum est, et infra etiam dicemus, quod verum esse non potest sine actuali distinctione in re.

Sed objiciet tandem aliquis, quia non implicat contradictionem Deum ita efficaciter movere voluntatem ad consensum, ut illi inferat necessitatem consentiendi, ut supra a nobis dictum est; ad hoc autem præstandum non est necesse ut multiplicet actiones vel entitates in voluntate, sed satis est ut efficaci omnipotentia sua immitat illi consensum, et faciat illam secum operari (in hoc enim non apparet implicatio contradictionis); ergo similiter potest unica simplici actione efficaciter prædeterminare voluntatem, faciendo ut illa simul libere cooperetur.

Respondetur antecedens non esse satis certum, nec parum difficile, ideoque a nonnullis modernis Theologis non admitti, sed duæ quæstiones hic distinguendæ sunt, una est, an possit Deus necessitare voluntatem, alia de

modo. In priori non videtur negandum quin id possit Deus, quia non apparet contradictio, quod nunc suppono cum communi sententia. In altera duplex potest excogitari modus: unus est, quod Deus una et eadem actione qua cum voluntate concurrat necessitet illam ad actum, ad quem ipsa de se erat indifferens; alius est ut Deus solus prius aliquid efficiat in voluntate, quo illi necessitatem imponat, et deinde cum illa efficiat actum.

De priori modo videtur profecto quod non sit possibilis. Nam si consensus posset fieri in voluntate, et eam consentientem formaliter reddere, seu volentem, absque affectione ejus, facillime intelligeretur posse Deum unica simplici actione et impressione necessitare voluntatem ad consensum, quia tunc illa necessitas non esset in agendo, sed tantum in recipiendo. Nunc autem supponimus consentire et velle esse actus vitæ, essentialiter postulantes concursum activum principii intrinseci vitalis, ideoque illum modum necessitandi voluntatem ad consensum esse impossibilem, sed necessarium esse ut voluntas necessitetur ad agendum, si necessitanda est ad volendum. Unde duplex intervenit immutatio voluntatis: una est a solo Deo a quo necessitatem patitur, et, ex indifferente ad agendum hoc vel illud, constituitur in tali statu ut hoc necessario agat, quod non videtur fieri posse cum reali concursu voluntatis, nec sine mutatione reali ejusdem. Altera vero immutatio ejusdem voluntatis est a seipsa, cooperante Deo, quatenus scilicet efficit in se consensum vel volitionem; et ideo impossibile videtur hanc duplicem immutationem voluntatis unica simplici actione fieri.

Aliunde autem videtur illum modum non esse impossibilem, quia non oportet ut necessitas voluntatis fiat per immutationem intrinsecam ejusdem voluntatis, priorem natura actu ejus, sed solum per actualem elevationem divinæ potentiæ utentis voluntate, tanquam instrumento ad actum illum. Sicut Deus elevat aquam ad efficiendam gratiam, non efficiendo præviam immutationem realem in aqua; et ideo non intervenit ibi duplex actio: una a solo Deo, quæ sit elevatio et immutatio aquæ; alia a Deo et aqua, quæ sit effectio gratiæ; sed unico superiori concursu Deus elevat aquam ut secum faciat gratiam. Ad hunc ergo modum poterit Deus necessitatem inferre voluntati, unico influxu applicando illam cum necessitate ad opus, et concurrente cum illa; esset tamen ille influxus alte-

rius rationis ab eo quo Deus concurrat cum libero arbitrio, ut liberum arbitrium est. Hoc vero pro nunc gratis dato (alibi enim examinabitur exactius), dicimus, si auxilium prædeterminans tale fingitur, eo ipso esse auxilium necessitans, quia nunquam concurrat cum voluntate ut indifferente, nec ita offertur voluntati, ut sit in potestate ejus cum illo operari et non operari. Quocirca, si supponamus Deum concurrere cum voluntate ad ipsum consensum liberum concursu accommodato libertati, sic dicimus esse impossibile ut eodem concursu Deus illam prædeterminet ad unum, sed necessarium esse præviam actionem a solo Deo factam.

De altero item modo necessitatis seu necessitationis, dicimus probabiliter defendi posse non esse impossibile, sive ille fiat per impressionem qualitatis præviæ, sive per impressionem ipsiusmet actus ultimi nondum vitaliter effecti. De qua re alio loco dicetur, nam hic necessaria non est. Nam si hoc verum est, jam cessat difficultas posita. Ac tandem quocumque modo ponatur Deus prædeterminare voluntatem, ponetur necessitare, et e converso; nam hæc duo idem sunt tanquam definitio et definitum. Ideoque impossibile est concursum cum causa libera, ut sic, esse actionem de se prædeterminantem eandem causam.

Dico ergo secundo: de facto nulla est distinctio in re inter concursum Dei ad consensum voluntatis, et influxum quo Deus efficit determinationem ejusdem voluntatis ad talem consensum; neque talis distinctio intelligi potest, si Deus non infert necessitatem voluntati. Probatur, quia si in hoc negotio humani consensus interveniunt duæ actiones ex natura rei distinctæ, vel habent unum et eundem terminum, vel duos; neutrum autem probabiliter dici potest; ergo.

Circa majorem nihil invenio firmum in his auctoribus; aliquando enim significant unum et eundem esse terminum utriusque actionis Dei, nam dupliciter seu bis censent Deum facere in nobis actum consensus, prius per auxilium prævium prædeterminans, deinde per auxilium simultaneum, seu concursum. Ita sensit Cabrera, dum ait Deum conferre auxilium concomitans, *non ut prodeamus in actum, sed ut adjuvet ad eliciendum actum, in quem jam prodire, etc.* Nam incipere prodire in hoc auctore nihil aliud esse videtur quam determinari; determinationem ergo vocat inceptionem ejusdem actus. Simili modo dicit in-